

6

DIDYNAMIA ANGIOSPERMIA.

culis, acutis; infimâ maximâ, subtrilobâ, suprâ hirsutissimâ, apice recurvâ. *Stamina* tubo inserta, fauce breviora, incurvato-approximata, rigida, glabra, *antheris* bipartitis, cruciatio-conniventibus. *Pistillum* glaberrimum, *stigmatè* simplici.

Folia latitudine variant.

a. Calyx atque pistillum.

c. Eadem secta, ut stamina in situ naturali conspiciantur.

b. Corolla.

TABULA 607.

DIGITALIS LEUCOPHÆA.

DIGITALIS laciniis calycinis linearibus ciliatis, bracteis flore longioribus, corollæ labio spatulato rotundato pubescente.

D. leucophæa. *Prodr.* v. 1. 439. *Ait. Hort. Kew. ed. 2. v. 4. 30.*

In monte Atho? ζ .

Herba præcedenti similis; sed *folia* inferiora majora, parùm repanda, vix dentata. *Spica* cylindracea, densissima, longissima, multiflora. *Bractee* lineari-lanceolatae, acutæ, ciliatæ, deflexæ, omnes floribus longiores, persistentes. *Calycis* laciniæ lineares, aut lineari-lanceolatae, subæquales, pilosæ, ciliatæ. *Corolla* extûs pubescens, præcedente, imprimis *fauce*, longè minor atque pallidior; *limbi* laciniis summis, ut et lateralibus, brevibus, acutiusculis; infimâ basi elongatâ, venosâ, fulvâ, anticè rotundatâ, dilatâ, convexâ, niveâ, venis fusco-purpureis. *Stamina* pallida, glabra. *Pistillum* hirsutum, *stigmatè* simplici, glabrato. *Capsula* ovata, acuta, pilosa.

a. Calyx.

b. Corolla anticè visa, cum staminibus in fauce.

c. Eadem lateralitèr.

D. Flos auctus, fauce utrinque fissâ et expansâ, labioque deflexo, cum staminibus et pistillo in situ naturali.

E. Stamen seorsim.

F. Pistillum.